ſiam actu exhibitum, ejusque paſſionem deſignari, nec ipſe Calixtus diffitetur. Quomodo ergo per eam fides explicita intelligetur, ita ut veteribus relinquatur, non fides, *ſed ſolum σκιὰ VMBRA fidei, aut ſi mavis, umbratilis fides*. Mirum ni etiam *VMBRAM ſalutis*, vel *ſalutem umbratilem* illis aſſignet Calixtus? Sed quam gloſſæ inauditæ rationem reddit? Nullam. Nam & hic dictatorem ſaltim agit. Cujus autoritas in hâc cauſa mancipiis ipſius ſufficiat, nec argumentis quidem ullis opus erit. Nobis autem in Scriptura unicè acquieſcendum, *quæ nullum aliud nomen ſub cœlo novit, nullum aliud hominibus datum eſſe*, teſtatur, *in quo oporteat ſalvari, niſi* SOLVM NOMEN JESU.

Cui Uni Sit Gloria In Secula.

Coll. diss A 154, 24